



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

II. Vt ignotis sacerdotium non detur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

bore sit commendatior, qui vocatur in medium, ut sum-
mum sacerdotium possit accipere, probatus iudicio, non
fauore: suscepimus veritate, non gratia: apostolico ordine
* functus, non præcipiti voluntate. De quo, carissimi, mi-
hi ante vestram sinceritatem huiusmodi literæ cucur-
runt, multo fratrum & confacerdotum consensu, ut hac
vestra subscriptione firmata ecclesiastica Canonis dispo-
sitio, quæ apud Nicxiam tractata * est, confirmata, suo
merito fundatissima permaneret: ut tales videlicet ad ec-
clesiasticum ordinem permitterentur accedere, quales
apostolica auctoritas iubet, non quales dico, veleos, qui
cingulo militiæ secularis adstricti, olim gloriati sunt. Qui
posteaquam pompa seculari exultauerunt, aut negotiis
republicæ optauerunt militare, aut mundi curam tracta-
re, adhibita sibi quorundam manu, & proximorum fa-
uore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis, vte-
piscopi esse possint, qui per traditionem & euangelicam
disciplinam esse non possunt. Quantis hoc aliquoties cer-
tatum est viribus? Sed nihil tale potuit elici, quæ ratio non
compellit. Etiam de longinquò veniant ordinandi, ut di-
gni possint & plebis & nostro iudicio comprobari.

I I.

* Quantum illicitum sit illud, æstimari non potest, vt transeuntes (sive simulent, sive sint monachi, quod se appellant, quorum nec vitam possumus scire, nec baptis-
sum: quorum fidem incognitam habemus, nec probatam) nolint sumptibus adiuuare, sed statim aut diaconos facere, aut presbyteros ordinare festinent, aut quod est grauius, episcopos constituere non formident. Carius apud illos, dari sumptum transeunti, quam sacerdotium non retento. Inde in superbiam exaltantur, inde insuper ad perfidiam cito corruunt, quia fidem veram in ecclesiasticis toto orbe peregrini * discere non afferuntur.

I I I.

Certe illud etiam non fuit prætermittendum, vt quod semel aut secundo necessitas haereticorum intulit, contra apostolica præcepta, velut lege licitum, * præsumi, neophytum vel laicum, qui nullo ecclesiastico functus fuerit officio, inconsiderate vel presbyterum vel diaconum ordinare: quasi meliores apostolis sint, quorum audeant mu-